

propter hoc non habet nomen speciale, sed remanet in suo genere. Nam «plura sunt negotia, quam vocabula,» ut dicitur in l. *Natura*, ff. de *Præscriptis verbis*.

110. *Solvitur notabilis instantia.* — Nec urget, si dicatur, etiam emptionis et venditionis nomen esse multum generale, et convenire omnibus rebus in commercio hominum existentibus, nec tamen esse contractum innominatum. Resp. enim cum Bartolo in l. *Juris gentium*, § 1, n. 1, ff. h. t. et l. *Sive apud*, § *Sed tunc quero*, C. de *Transactionib.* disparitatem esse: quia *Permutatio* est nomen generis, non speciei; nam etiam emptio potest dici permutatio, quia permutatur, seu datur merx pro pecunia; sicut et locatio, ubi permutatur pecunia pro opera: et generaliter, ubicumque hinc inde aliquid datur, vel fit, potest dici permutatio, ac proinde hoc est nomen generis: atqui appellatio generis non facit contractum dici nominatum, arg. l. 2. ff. de *Liber. et posthum.* et l. *Nominatim*, de *Condition. et demonstrat.* Econtra emptio, sicut et venditio, est nomen speciei; et convenit solis emptionibus, et venditionibus, in quibus datur pecunia pro merce, aut econtra et nulli alteri contractui, l. 1. ff. de *Contractend. empt.* et § *Item pretium*, instit. de *Emption. et vendit.* sicque merito censetur esse contractus nominatus.

111. *Differentiæ inter contractus nominatos, et innominatos, quæ?* Quæritur II. Quæ sint differentiæ inter contractus nominatos, et innominatos? Resp. Esse potissimum tres consequentes. Primo enim contractus nominati quatuor diversis modis perficiuntur, videlicet re, litteris, verbis, et consensu, § fin. instit. de *Obligationib.* estque supra n. 97, et seqq. jam declaratum. Contractus innominati econtra uno dumtaxat modo perficiuntur, seu tantum, arg. l. 1, de *rerum Permutat.* Nam antea pœnitere licet, ut illico dicitur: unde

112. *In his licet pœnitere, non in illis.* — Secundo differunt: quia in contractibus nominatis non licet pœnitere, id est, a contractu resilire altera parte non consentiente; ut patet ex l. *Sicut*, §, C. de *Action. et obligat.* Econtra in contractibus innominatis, quantum est de jure civili, non solum licitum est cuilibet parti re integra pœnitere, seu a contractu recedere; sed etiam is, qui ex sua parte contractum implevit, antequam alter eum impleat, potest adhuc pœnitere, et si quid ideo solvit, datam pecuniam repetere; dummodo alter servetur indemnis, si forsitan

aliquod damnum occasione talis revocati contractus incurrat; puta, quia fecit quasdam expensas pro ejus impletione, et postea is fuit per pœnitentiam alterius revocatus. Textus est in l. *Si pecuniam*, ff. de *Conditione causa data*.

113. *Qua ratione liceat pœnitere in contractibus innominatis?* — Verumtamen dictum hoc, quod in contractibus innominatis liceat pœnitere, procedit potissimum re integra, seu quando adhuc neutra pars promissum implevit. Vel, si alterutra pars jam dedit, seu implevit contractum, tunc quidem ipsi adhuc licitum est pœnitere, etiam repetendo pecuniam solutam, ut dictum: non tamen alteri parti, quæ accepit, amplius licitum est pœnitere alia parte invita. Ratio est: quia per interventum rei promissæ, quam semel sponte accepit ab altero, contractus ejusmodi jam evasit vestitus: unde is, qui dedit, seu contractum ex sua parte implevit, et in hoc persistere cogitat, potest alterum cogere actione «præscriptis verbis» ad contractum ex sua etiam parte complendum. Engel, h. t. numer. 12.

114. *An in istis etiam de jure canonico pœnitere liceat?* Additur etiam n. 112, notanter, «quantum est de jure civili.» Nam, quod spectato jure canonico in contractibus innominatis pœnitere non liceat, si adversarius paratus sit fidem servare, et contractum adimplere, neque est in mora hunc adimplendi; docet Felinus in c. *Antigonus*, n. 13, h. t. et Molina, tom. II, de *Justit. et Jure*, disp. 258 n. 7, citans insuper pro hac sententia Baldum in rub. C. de *rerum Permutat.*, Greg. Lopez, lib. III, tit. VI, part. V, et alios. Ratio est: quia secundum canones ex pacto nudo oritur obligatio, et datur actio; ergo hoc idem dicendum est in proposito, sicque locus non est pœnitentiæ, quando adversarius absque mora vult fidem servare, stareque contractui. Quidquid contradicat Engel, h. t. n. 14, asserens cum nonnullis aliis, sententiam affirmativam, seu quod etiam secundum jus canonicum in contractibus innominatis, ante eorum implementum ex altera parte factum, locus sit pœnitentiæ, valde probabiliter defendi posse.

115. *Imo et in foro civili secundum hodiernos mores.* — Deinde notat Christoph. Clingensperger, lib. III, instit. tit. XIV, quæst. 18, citans alios, quod etiam in foro civili secundum hodiernos mores in contractu innominato non habeat locum pœnitentia. Quia (inquit)

hodie ex pacto nudo, et omni conventionione seria ac deliberata datur actio, ut jam dictum supra § 1 n. 37, ac proinde de hodierna consuetudine amplius in contractu innominato pœnitere non licet. Et ita in concilio Neoburgensi, et facultate juridica Ingolstadiensi judicatum testatur. Quod ipsum observari in Regno Castellæ, refert Molina cit. disp. 258, n. 8, ne forum externum discrepet a foro conscientie, ubi omnis deliberata conventio parit obligationem naturalem standi promissis, dummodo altera pars non sit in mora standi suis.

116. *Afferuntur alie inter eos differentiæ.* — Tertio differunt contractus nominati ab innominatis: quia in illis agitur actione certa, puta: «Actione empti, venditi, depositi,» etc. Econtra in contractibus innominatis non agitur actione certa, sed «Præscriptis verbis;» prout liquet ex toto tit. ff. de *Præscriptis verbis*. Cum enim plura sint negotia quam vocabula, quoties deficiunt vulgaria et usitata actionum nomina, «Præscriptis verbis» agendum est, ut ibid. l. 1. et seqq. notatur, et postmodum exemplificatur per actiones ex contractibus innominatis descendentes.

117. *Afferuntur alie inter eos differentiæ.* — Præter has præcipuas differentiæ inter contractus nominatos et innominatos, addit Jason in l. *Juris gentium*, n. 1, ff. h. t. aliam adhuc. Quia, præterquam quod illi habeant speciale et discretivum nomen, non isti, ut patet ex ipsamet eorundem definitione; contractus nominati, eo ipso, quod sunt in esse positi, statim producunt actionem; sed contractus innominati sunt debiles et inefficaces, et sic non producunt actionem, nisi secuta causa; hoc est, nisi perfecte pro sua parte contractum impleverit ille, qui vult agere. Patet hoc ex l. *Juris gentium*, § 1. ff. h. t. Et ratio disparitatis est, quia generatim omnes contractus nominati, sunt etiam vestiti: habent enim vestimentum nominis, quod est nobile vestimentum. Contractus innominati vero stant in nomine simplicis conventionis, sicque in sua nuditate, donec vestiantur interventu rei, et ex altera saltem parte perficiantur traditione, seu præstatione rei conventæ; sicque efficaces reddantur ad producendam actionem «Præscriptis verbis.» Et hoc procedit spectato rigore juris civilis: nam secus esse dicendum secundum canones, et hodiernos mores, jam supra n. 113, et n. 116, dictum fuit.

118. *Contractus bonæ fidei.* — Quæritur I. Quid, et quot sint contractus bonæ fidei, et stricti juris? Ubi prænotandum, quod contractus bonæ fidei, non ideo sic dicantur, quasi in eis tantum servare debeat bona fides: hæc enim in omnibus contractibus etiam stricti juris requiritur, cum non liceat eos mala fide celebrare. Itaque, quoad

119. *Contractus bonæ fidei.* — Resp. I. «Contractus bonæ fidei» dicuntur, qui obligant secundum verba ex æquo et bono intellecta: id est, qui benignam admittunt verborum interpretationem secundum æquum et justum. Et hinc in talibus contractibus iudex multa potest arbitrari quæ secundum bonam contrahentium fidem censentur inesse, etiamsi verbis non fuerint expressa; ut sunt emptio, venditio, locatio, etc. Atque ex his contractibus dicitur generari «Actio bonæ fidei.»

120. *Contractus stricti juris, qui?* — «Contractus stricti juris» econtra sunt qui obligant præcise secundum verba: id est, in quibus stricta interpretatio fieri debet secundum id, quod verbis expressis conventum fuit, ut fit in stipulationibus, donationibus, emphyteusi, contractu feudali, et similibus. Atque ex his dicitur oriri «Actio stricti juris.»

121. *Hujus divisionis origo.* — Cæterum origo hujus divisionis inde promanavit: quia olim prætores Romani, qui privatis causis judicandis operam non dabant, litigatoribus iudices petentibus dare solebant iudices pedaneos, præscriptæ is certa formula, quomodo procederent in causa; nunc ampliori, seu concedendo ipsis potestatem et bona fide, sive ex bono et æquo statuendi, arbitrandi, et judicandi ultra expressa; nunc vero strictiori seu dando eis potestatem judicandi tantummodo, secundum quod nominatim conventum est inter partes. Unde successu temporis contractus, et actiones illæ, in quibus prætor consueverat ampliorum formulam iudicibus pedaneis concedere, appellatæ sunt «Actiones, et contractus bonæ fidei:» reliquæ vero pro quibus strictior formula adhibebatur, «Actiones, et contractus stricti juris.» Mynsinger, lib. IV, Instit. § *Actionum autem*, n. 9 et seqq. et alii.

122. *Ratio, quæ?* — Ratio autem congrua

tia, cur prætor in contractibus bonæ fidei ampliorem formulam præscripserit iudici pedaneo, et strictiorem in aliis hæc videtur esse. Quia imprimis contractus bonæ fidei a potiori omnes sunt utrinque obligatorii, et propterea potest facilius ex parte utriusque contrahentis ex æquo et bono aliquid suppleri. Deinde contractus bonæ fidei habent nimis latos terminos, ut omnia ab initio a contrahentibus exprimi tam facile non possint: secus est in contractibus stricti juris, qui tam latos terminos regulariter non habent; ut mutuum, stipulatio et hujusmodi. Christoph. Cligensperger, lib. IV, Institut. VI, quæst. 80. citans interpretes communiter in § 28. Instit. de Actionib.

123. *Solvitur instantia.* — Nec obstat, quod depositum, commodatum et pignus, sint contractus bonæ fidei, nec tamen utrinque sint obligatorii. Resp. enim, quod licet tales contractus non utrinque sint obligatorii ab initio, adhuc tamen ex post facto, et accidenti, ut puta propter expensas, seu damnum datum aut acceptum, utrinque obligent, quod sufficit.

124. *Contractus et actiones bonæ fidei sunt septemdecim.* — Resp. II. Contractus et actiones bonæ fidei, sunt septemdecim; atque enumerantur in § *Actionem actum*. Instit. de Actionib. cæteri autem omnes sunt contractus stricti juris. Ita textus, Glossa, et doctores in d. § *Actionum autem*. Quamvis ibidem intelligantur actiones, non solum prout sunt directæ, sed etiam prout sunt contrariæ: alioquin enim forent viginti tres actiones bonæ fidei, cum actione mandati, commodati, depositi, pignoratitia, tutelæ, et negotiorum gestorum, sint directæ, et contrariæ simul. Mynsinger, loc. cit. n. 16 et alii.

125. *Et quales?* — Porro sequentes ac ibidem enumerati, sunt contractus bonæ fidei, videlicet emptio, venditio, locatio, conductio, negotiorum gestio, mandatum, depositum, contractus societatis, tutela, commodatum, et pignus. His adde contractus, vel quasi contractus illos, ex quibus oritur actio bonæ fidei: qualis datur inter cohæredes, et appellatur « Familie hærescundæ; » item « Communi dividendo; » præscriptis verbis; quæ de æstimato proponitur; et ea, quæ ex permutatione competit; et tandem hæreditatis petitio. De his omnibus bonæ fidei actionibus exstant illi vulgati versiculi, quos recert Glossa, in c. *Cum venerabilis*.

§. *Bonæ fidei. de Exceptionib.* et sic sonant:

Empti, conducti, mandati, depositique,
Pignora, hærescundæ, communi, pro socioque.
Dolis, et hæredis, tutelæ, commoda, gestor.
Præscriptis verbis si mutat, sive licetur.
Ista bonæ fidei sunt: stricti cætera juris.

126. *Hoc ipsum amplius declaratur.* — Verum circa hosce versiculos adverte, quod per ly « empti, » subintelligatur ly « venditi; » et per ly « conducti, » subaudiatur reciprocus contractus, et inde subsequens actio « Locati; » quia nunquam unus est sine altero. Item verba illa, « Præscriptis verbis si mutat, sive licetur, » duas tantum actiones denotant: nam actio « Præscriptis verbis » est stricti juris, demptis his duobus casibus, videlicet quando ea de æstimato proponitur, vel quando ea ex permutatione competit. Glossa in § *Actionum*. §. *Ex permutatione*. Instit. de Actionib.

127. *Differentia inter contractus bonæ fidei, et stricti juris, quæ?* — Quæritur II. Quæ sint differentie inter contractus bonæ fidei, ac stricti juris? Resp. cum Glossa in cit. c. *Cum venerabilis*. §. *Bonæ fidei*. et Abbate ibid. n. 15. et seqq. de *Exceptionib.* Engel. h. t. n. 18. et 19. et aliis, esse plures differentias. Prima est quod in contractibus bonæ fidei, si lis oriatur, iudicium feratur ex æquo et bono, etiam ultra id, quod nominatim in contractu a partibus conventum est, § *In bonæ fidei*. Instit. de Actionib. Dummodo sit tale, quod si contrahentibus in mentem venisset, utriusque expressissent, arg. l. *Quia tantumdem*, ff. de *Negot. gest.* In contractibus autem stricti juris iudicatur præcise secundum ea, quæ nominatim in contractu expressa fuerunt, l. *Quidquid as-tringendæ* ff. de *Verb. obligat.*, aut stricte exigit natura talis contractus. Glossa. loc. cit. Atque idcirco in actionibus bonæ fidei multum exuberat officium iudicis, et plenius succurritur, quam in aliis: unde et illæ dicuntur actiones bonæ fidei, istæ vero stricti juris, prout post Glossam citatam, loquitur Abbas ibid. n. 20.

128. *Qua ratione omnis contractus possit dici bonæ fidei?* — Dices. Omnis contractus est bonæ fidei; ergo nullus est stricti juris. Antecedens probatur ex l. *Bonam fidem*. c. de *Actionib.* et *obligat.* ubi bona fides in omni contractu servanda dicitur. Resp. disting. anteced. Omnis contractus est bonæ fidei, quatenus hæc opponitur malæ fidei, conced. anteced. quatenus bona fides opponitur stricto

juri, neg. anteced. cum suæ probationis consequentia.

129. *Judex debet semper judicare ex æquo et bono, quomodo?* — Urgebis. Judex semper debet judicare ex æquo et bono, l. *Placuit*. c. de *Judiciis*; ergo adhuc nullus datur contractus, vel actio stricti juris. Resp. disting. anteced. Judex semper debet judicare, ex æquo et bono, juxta æquitatem scriptam, hoc est juxta formulam in jure præscriptam; conced. : juxta æquitatem cerebrinam, seu ad formulam in jure præscriptam non attendendo, neg. anteced. et consequent. Ad l. *Placuit*. c. de *Judic.* respondetur per idem conformiter dictis tit. II, de *Constitutionibus*. § 46, n. 445, et seqq. Quia agitur in contractibus et actionibus bonæ fidei, amplior formula a jure præscribitur, merito hoc nomine censentur, potestque in illis iudex ex bona fide procedere ultra expressa: secus dicendum in contractibus stricti juris, ubi arctior formula in jure præscribitur.

130. *In actionibus bonæ fidei veniunt usuræ, et fructus a tempore moræ, non in aliis.* — Secunda differentia, atque ex præcedenti proveniens ipsamque exemplificans, est hæc: quia in actionibus bonæ fidei veniunt usuræ, seu interesse, et fructus a tempore moræ; adeo, ut hos omnes post commissam a possessore moram perceptos, iudex, actori in causa superanti sit adjudicaturus, l. 3. ff. de *Usuris*, et l. *Mora*, § 2, ff. eod. In actionibus stricti juris econtra non aliter debentur usuræ, nisi de usuris conventum fuerit, l. *Titius*. 26, ff. de *Præscriptis verbis*. juncta Glossa ibid. §. *Non deberi*.

131. *Idque amplius exemplificatur.* — Insuper stipulans fundum non consequitur fructus pendentes, nisi eorum mentionem fecerit in stipulatione utpote quæ est stricti juris. Secus est in emptione: ei enim, qui fundum emit, hoc ipso etiam fructus pendentes cedunt, nisi aliud conventum sit, l. *Datio possessionis*. § *Si emptor*. et l. *Julianus*. §. *Si fructibus*, ff. de *Action. empti*. Tacentur similia.

132. *Contractus, cui dolus dat causam, an sit ipso jure nullus?* — Tertia differentia est, quia contractus bonæ fidei, si dolus det causam contractui, est ipso jure nullus, l. *Et eleganter*. § 4 ff. de *Dolo*. Intellige, nisi dolo inductus, ultro juri suo renuntiare, et dolum remittere, contractumque ratum habere velit. Econtra contractus stricti juris est validus, ac ipso jure subsistit, quamvis agens ex eo possit doli exceptione repelli. Textus est in l. *Si*

quis cum aliter. ff. de *Verb. obligat.* ac notat Glossa fin. in c. *Cum dilecti de Emption.* et Covarruvias in cap. *Possessor. de Regul. jur.* in 6, part. II. § 6, n. 6, citans alios. Verum de hoc plura lib. II, tit. XIV de *Dolo et contumacia*. § 1. n. 13 et seqq.

133. *Divisio in contractibus bonæ fidei, et stricti juris, an etiam procedat de jure canonico? Et rationes sententiæ negativæ.* — Quæritur III. An allata divisio in contractibus bonæ fidei, et stricti juris, etiam de jure canonico procedat. Ratio dubitandi, ac negativam tenendi est, tum quia secundum canones solum proceditur ex æquo et bono, non attentis juris civilis subtilitatibus, arg. *Sæpe contingit*. 18. de *Restitut. spoliat.* juncta Glossa ibid. §. *Rigore*; tum quia nullibi habetur textus, in quo notatur differentia de jure canonico inter contractus bonæ fidei, ac stricti juris; tum tandem, quia donatio secundum jus civile censetur esse contractus stricti juris, l. *Eum qui*. ff. de *Donationib.* et tamen secundum canones accepit largam interpretationem, ut c. *Cum dilecti*. 6. de *Donation.* His tamen non obstantibus

134. *Ponitur sententiæ affirmativa.* — Resp. I. Distinctio inter contractus bonæ fidei, et stricti juris, etiam procedit de jure canonico. Ita Covarruvias in d. c. *Possessor.* part. II. § 6, n. 5; Jason l. *Etsi post tres*, n. 28. ff. *Si quis cautionibus*. etc.; Engel h. t. n. 20. citans ferme communem, contra Baldum, et quosdam alios. Ratio fundamentalis est, quia, quando aliquid clare decisum est in jure civili, et contrarium non est decisum in jure canonico, simulque non sumus in materia spirituali, nec in materia peccati, stamus juri civili etiam in foro canonico, ne inducatur discrepantia inter jus civile et canonicum, arg. cap. *r. de Novi operis nuntiat.* et cum communi canonistarum dictum est in *Proæmio*. § 13, n. 224 et 225. Atqui ita fit in proposito, ut patet tum ex hactenus dictis, tum ex solutione rationum dubitandi; ergo. Accedit, quod isthæc juris civilis distinctio expresse videatur approbata a jure canonico, in c. *Cum venerabilis*. 6. de *Exceptionib.* ibi: « Cum permutatio inter contractus bonæ fidei computeletur: » ubi proin Glossa de actionibus bonæ fidei, et stricti juris, accuratam instituit disputationem. Concordat cap. ult. de *Depositio*.

135. *Solvuntur rationes contrariæ sententiæ.* — Nec obstant rationes dubitandi in contrarium allatæ. Non prima, nam etiam jus ci-

vile procedit ex bono et æquo, d. 1. *Placuit*. C. de *Judiciis*, nec tamen respicit contractus stricti juris. Deinde contractus isti non fundantur in mera subtilitate juris civilis, sed etiam in quadam naturali æquitate ipsis coherente, ob quam merentur esse « stricti juris, » seu strictæ interpretationis, ut dictum n. 121 et 122.

136. *Solvuntur rationes contrariæ sententiæ*. — Ad alteram negatur assumptum, prout liquet ex textibus juris in favorem datæ conclusionis adductis. Ad ultimam negatur consequentia: nam in d. c. *Cum dilecti de Donation.*, sermo est de donatione facta ad pias causas; ac proinde non mirum, quod favore animæ donatoris, et pro augmento cultus divini, in ea fiat latissima interpretatio. Secus dicendum de donationibus profanis, et inter privatos factis, de quibus loquitur jus civile, ponens donationem inter contractus stricti juris.

137. *Alia circa contractus. Remissive*. — Nonnulla alia circa contractus partim videri poterunt in mea *Theologia morali*, tract. VIII, dist. 1 et 2. per totum: partim explicari solent in libro III *Decretalium*, a tit. XIV et seqq.

TITULUS XXXVI.

De Transactionibus.

1. *Ratio continuationis titularum*. — Cum transactio contineatur sub pacto ut sic, velut species sub genere suo, merito post rubricam de *Pactis* generaliter inscriptam, subjungitur præsens titulus *De Transactionibus*, quem majoris claritatis gratia juvat in paragraphos dividere: unde sit

§ I.

DE NATURA TRANSACTIONIS, EJUSQUE REQUISITIS.

2. *Transactio large accepta, quid?* — Quæritur I. Quibus modis sumatur transactio, et quid sit? Resp. I. Transactio ut sic sumitur dupliciter, videlicet large, ac proprie. Et quidem *Transactio*, large ac proprie accipitur pro omni actu, quo ab obligatione receditur et negotium aliquod inter quosdam componitur, sive id fiat litis componendæ causa, sive non. In proposito tamen ea sumitur proprie

ac specialiter seu prout *Transactio* vi nominis idem importat, ac *Transitum*, sive recessum ab actione. Et sic de ipsa loquendo,

3. *Transactio proprie accepta quid?* Resp. II. « Transactio proprie accepta, est de re dubia et lite incerta pactio non gratuita. Ita Abbas ad rubricam h. t. Hostiensis in *Summa*. h. t. n. 1 et communis. Atque desumitur hæc definitio ex l. 1 ff. h. t. ubi dicitur: « Qui transigit, quasi de re dubia et lite incerta transigit. »

4. *Non valet, nisi sit de re dubia; idque declaratur*. — Dicitur, « de re dubia. » Nam si manifeste apparet de calumnia (id est, si constet litem tantummodo esse calumniosam, et sine ulla justa causa litigandi susceptam) aut si pars transigens certo sciat, nullum sibi jus in re competere, non valet transactio inde secuta; et si quid eo nomine datum ac receptum fuit, repetitur datum, estque restituendum non solum in foro conscientiæ (quod ex se esse notissimum inquit Molina, tract. II, de *Justit. et jur.* disp. 556, n. 1, eo quod taliter transigens, ac datum recipiens, nullum justum titulum retinendi habeat) sed etiam pro foro externo, l. in *Summa*. ff. de *Condition. indebit.* ac tenet Glossa in c. *Super eo*, §. *Dato*. et Abbas, ibid. n. 3. h. t.; Pirhing eod. n. 8; Molina, cit. n. 1, qui omnes istud intelligunt ex parte actoris: si enim actor transigat, sciens rem ad alterum pertinere, transactio etiam in foro externo ipso jure est nulla, juxta cit. l. in *Summa*. Quod si autem reus transigat, sciens rem certo ad actorem pertinere, tunc quidem transactio in foro exteriori non est ipso jure nulla, actore tamen instante est rescindenda per actionem, et replicationem doli; uti desumitur ex l. *Sub prætextu instrumentor.* C. de *Transact.* et tradunt proxime citati auctores. In dubio tamen transactio præsumitur valida. Ciarlinius *Controv. for.* cap. CCXIX; Pasqual. de *Patria potest.* p. 1, c. 2. numer. 4, ubi Pratus, Annot. ad n. 4; Rota post Pajatellum, decis. 41 et 42.

5. *Nec valet super sententia jam lata*. — Dicitur ulterius, « et lite incerta. » Quia, si prius fuit lata a judice sententia, hæcque nemine appellante transiit in rem judicatam, non valet transactio super ea. Glossa in cit. c. *Super eo*. §. *Dato*. h. t. Abbas et alii. Nam res judicata, pro veritate accipitur l. *Res judicata*, ff. de *Reg. jur.* Unde in l. *Elegantior*, ff. de *Condict. indebit.* recte dicitur: « Si post rem judicatam quis transegerit, et solverit, repetere potest; idcirco, quia placuit transactio-

nullius esse momenti. » Concordat textus apertus in l. *Si causa*, C. de *Transactionib.*

6. *Exceptis certis casibus; et quibus?* — Intellige, nisi forsitan ignoraretur, aut incertum foret, an judicatum sit, vel an sententia valeat: ut puta, si pars adversa id ipsum neget allegata aliqua probabili causa, quæ non contineat manifestam calumniam: tunc enim adhuc lis subesse censeretur, sicque transactioni locus foret, cit. l. *Elegantior*. §. *Si post rem*. et l. *Post rem juvatam*. ff. h. t. ac notat Bartolus hic §. *Videamus*. Idemque dicendum quando a sententia per judicem legitime lata fuit appellatum: nam appellatio suspendit sententiam, sicque ea interposita lis nondum est finita, sed adhuc durat, d. l. *Elegantior*, §. *Si post rem*. Vel quando adversus sententiam latam petitur remedium restitutionis in integrum; ut fieri potest, si Ecclesia, vel minorennis graviter lædatur: quia etiam tunc lis evadit incerta, sicque transigi potest, arg. cit. l. *Si causa*, C. h. t.

7. *Transactio est pactio quædam*. — Dicitur tandem in definitione transactionis, « Pactio. » Quæ particula stat loco generis: nam omnis transactio est quædam pactio, seu pactum, c. *Veniens*, 8, h. t. non vero econtra, cæteræ autem partiæ stant loco differentiæ. Ad dicitur tamen, « non gratuita: » quia transactio fit aliquo dato, et retento, c. *Super eo*, 7. h. t. ac per hoc differt ab amicabili compositione, prout amplius patebit ex dicendis numer. 14.

8. *Atque contractus onerosus, et innominatus*. — Quæritur II. Qualis contractus sit transactio? Resp. I. Transactio est contractus onerosus, et innominatus, « Facio ut des, do ut facias, » etc. hoc est, « Abstineo a lite, ut des: do, ut abstineas a lite, et jus omne, quod in re litigiosa prætendis, mihi cedas, » etc. Ita communis. Et quidem, quod transactio sit contractus onerosus, ex eo liquet: quia est pactio non gratuita, nec fit nisi aliquo hinc inde dato, ac retento. Quod autem ea sit contractus innominatus, patet ex L. 1. §. *Conventionis*, ff. de *Pactis*; ac tradit Glossa magna in l. *Sive apud acta*. C. de *Transact.* et Bartolus ibid. §. *Quero secundo*. et Jason num. 8. asserens, hoc esse verissimum.

9. *Atque contractus onerosus, et innominatus*. — Concordant dicta superius tit. præc. §. 5. numer. 109 et 110. ubi in simili dictum est, quod permutatio sit contractus innominatus, haud obstante, quod videatur habere proprium nomen, ac sub specialibus titulis

de ea in utroque jure agatur: quia videlicet *Permutatio* est nomen generis, non speciei, cum istud pluribus specie distinctis contractibus sit commune. Nam pariter, *Transactio* est nomen generale ad omnem speciem finiendæ obligationis, ut inquit Jason in l. *de Fideicommisso*. n. 8. C. h. t. et sive de re dubia, aut lite incerta, fiat pactio non gratuita mediante venditione aliqua, sive interveniente locatione, aut donatione, semper retinetur nomen *Transactionis*.

10. *In ea non habet locum penitentia, sicut in aliis contractibus innominatis*. — Dices. In contractibus innominatis habet locum penitentia, ut dictum tit. præc. §. 5. numer. 112. Atqui in transactione non habet locum penitentia, ut est textus expressus in l. *Quamvis eum*. C. h. t. ergo transactio non est contractus innominatus. Resp. Majorem procedere regulariter, nihilominus regulam illam suas pati limitationes. Ac præsertim in transactione hoc est speciale, ut licet sit contractus innominatus, et res sit integra, tamen non detur locus penitentia: idque merito statutum fuit ob bonum pacis, atque ad præscindendas lites, ne videlicet lis semel per transactionem extincta, denuo instauretur. Jason in d. l. *Quamvis eum*. numer. 1. hoc intelligens non solum de transactione, quæ tendit ad liberandum, sed etiam de illa quæ tendit ad obligandum, l. *Si super possessione*. C. h. t. Concordat textus in l. *Fratris tui*. et l. *Sub prætextu*. C. eod. In quo posteriori loco additur, quod transactio bona fide facta, etiam sub prætextu instrumenti de novo reperti, non possit rescindi.

11. *Tria requiruntur ad transactionem; et quæ?* Quæritur III. Quæ requirantur ad transactionem? Resp. Tria ad eam requiruntur, ut patet ex ejus definitione superius allata. I. Ut fiat de re dubia. Et per hoc inter alia differt transactio a pacto: nam pactum potest esse etiam de re certa et indubitata, quam quis donat, remittit vel permutat; transactio autem non detur, nisi in re dubia. Unde illi vulgati versiculi apud Glossam ad rubricam hujus tituli:

Incerta de re transactio dicitur esse:
Sed fiunt certæ pacta favore rei.

12. *Tria requiruntur ad transactionem; et quæ?* — II. Ad transactionem requiritur, quod fiat super lite incerta; prout liquet ex data ejus definitione, ac cit. l. 1. ff. de *Transact.* Quia transactio vi nominis importat